Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 401
Quelle:
Copyright:

Porretani, qui eodem initio uſus eſt. Ipſe demum Commentarius ſic: *Apokalipſis ihesu chriſti — In hoc proemio tanguntur IIII. cauſe introductorie in hunc librum* &c. Tota tractatio Scholaſtici eſt, et quidem *Franciſcani*; nam in C. 1. v. 13. ita commentatur: *Similis ille filio hominis in medio candelabrorum VII. Sanctum Franciſcum ſignificat. — Dicitur autem ſanctus Franciſcus ſimilis filio hominis id eſt Chriſto propter V. rationes. Videlicet propter conuerſationis imitationem* &c. Hujus Sodalitii *Aſteſanus*, *Alex. Alenſis*, D. *Bonaventura*, *Johannes Anglicus*, *Gualenſis*, et *de Rupella*, *Ubertin. de Caſali* et *Vital. de Furno* in *Apocalypſin* commentati feruntur, ſed nemo typis vulgatus praeter *Alenſem*, qui ad manum non eſt; unde Autorem edicere non opis eſt noſtrae. Ad calcem: *Finito libro prece reddite iura magiſtro.*

VI. *fol.* 60. p. 2. *Apocalypſeos* Oſtenta LXI. Verſibus expoſita, quorum initium:

E ſeptem viſis rebus docet apocalypſis.
Corrigit in prima, librum reſeratque ſecunda.
Viſio terna cubat, mulier quarta quoque pugnat,
Quinta tenet phialam, ſexta dampnat babilonem,
Septima cuncta nouat atque beatificat.
Producunt mira ſeptem reſerata ſigilla
Albus equus gayum, rubus ſignatque neronem,

Inde per Imperatores, Pontifices, Expeditiones in *Palaeſtinam* usque ad finem Sec. XII. fit progreſſio, et ita concluditur:

Tempore cunradi (III) *ſunt centum milia ceſi.*
Vidit captiuos Fridericus (I) *liberat illos,*
Quos uidit uiuos, regnabunt mille per annos.
A conſtantino nongenti ſuntque triginta
Completi, reſtant conplendi ſeptuaginta.
Celum, terra noua ſequitur quoque uita beata.
Hinc noua ieruſalem, criſtallinum quoque flumen.
Fratrum religio flumen fluit ore docendo.
Quilibet arbitrio dimittitur, atque minatur
De prope iudicio. ſit laus et gloria criſto.

Ducto igitur a *Conſtantini M.* anno primo calculo Verſus hi compoſiti ſunt a. 1236. cui anno ſi 70. addas, *Coelum* et *terra nova* ſequi debuiſſent a. 1306. quem motus *Helvetici* exceperunt. Cetera Lector nullo negotio ſibi exponet.

VII. *fol.* 61. absque titulo Vocabularium, ſive Expoſitio Vocum